



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 6. Sceleratissimi parentis brevis & efficax contritio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)



426 Cap. XVIII. A Dei clementia amnes-  
fessarius; ô filia, sicut cogitas, sed in tua anima  
bonum opto, ut ad concionem audiendam, cra-  
stino die, iterum te sistas. Quod tibi, pro salutari  
pœnitentia, iniungo. Hac tam clementi pœ-  
nitentiâ intellectâ, atque, ut per eius exigui-  
tatem, cum nefandis flagitijs suis, compara-  
tam, in diuinæ bonitatis potentias immen-  
sitatemque ingressa, tanto, ob peccatorum  
recordationem, dolore vri, atque in tanta  
fuspiria vrgeri cœpit, ut è templo pedem  
efferre non posset, sed illico cœlesti amore,  
vel liquefcens, vel contabescens, animam  
efflaret. Accurrunt ad cadentem homines,  
& adhuc, per mortuæ genas, vberimè cur-  
rentes lachrymarum riuos deprehendunt.  
Nunciatur ea mors Concionatori; qui de-  
functæ animam cœnobij sui Religiosis com-  
mendauit. His ergo, pro ea, orantibus, de  
cœlo eiusmodi vox venit: *Non est opus, ut  
oretis pro ipsa; potiùs ipsa orabit pro vobis.* Hic  
huius tragœdiæ epilogus est; tam citò ex  
lupa agnam fecit diuina clementia, immò  
vel vnica diuinæ clementiæ cogitatio.

§. VI.

*Sceleratissimi parentis breuis & efficax  
contritio.*

Ac ne mulieres duntaxat delicati huius  
amoris



amoris contritionisque tam potentis capaces esse videantur; etiam apud viros, *fortis est, ut mors dilectio*; adeò vt, præ dolore tam mitis Dei offensi, & ipsi, dissiliente in partes corde, emoriantur. Refert exemplum sui temporis author, qui non minùs ipse fecit, ab alijs, laudanda, quàm narrauit ab alijs cum laude gesta. Memorat igitur, in Gallia, id *fidelißima relatione traditum* accidisse. Ad Petrum de Corboel Senonensem celeberrimi nominis Archiepiscopum (qui, in tabulis Democharis numero septuagesimus secundus est, obiitque anno 1221.) vir quidam venit, qui parum honestè pudicitiam habuerat, vitiòque crescente, vim vitiumque propriæ filiæ intulerat. Is, conscientia stimulante, ac tam nefarij criminis magnitudine perculsus, pœnitentiãque tactus, prædicto Archiepiscopo, delicta sua ingenti cum dolore animi, lachrymarumque effusione, confessus, quæsiuit, an adeò grauis peccator *unquam posset, vllò dolore, vel pœna, a Domino veniam impetrare?* Cui Præful: Ne dubita, fili, inquiebat, veniam impetrabis, *si tanti mali pœnitentiam subire volueris. Et ille vehementer exclamans: Volo, inquit, etiamsi mille mortes me sustinere volue-*

Cant. 8. 6.

Thom.  
Canti-  
prar. lib.  
2. apum.  
cap. 51.  
§. 7.



ris. Tanti est, Deum verè dilectum offendisse. Confessarius, hominis contritione cognita, confitenti, & ipse calidissimè collachrymatus: *Et ego, inquit, septennem tantum tibi pœnitentiæ pœnam impono. Tunc ille, quid ille? num ad nostri seculi morem & frigus vel octidui pœnitentiam detrectavit; aut questus est, pœnam esse nimis diuturnam? Nequaquam. Sed, Quid est, ait, quòd pœnitentiam mihi flagitiosissimo septennem tantum iniungis; qui si viverem usque in finem mundi, tantum facinus pœnis innumerabilibus diluere non valerem.* Hoc tanto tamque, ad satis faciendum, parato animo intellecto, Præsul, *Vade, inquit, & tres dies tantum in pane & aqua ieiuna.* Minuit pœnam, auxit dolorem pœnitentis, & ad tam fœdum facinus luendum, nullam pœnam sufficere iudicantis; qui proinde longè impotentius plorans eiulansq; ac pectus pugnibus contundens, enixissimè rogavit, ne sibi parceret, neue culpa minorem pœnam decerneret, sed *ut pœnitentiam iniungeret salutarem.* Tam accensum diuini amoris affectum supra modum admirans antistes, sciens multa dimitti multum diligentem, tandem imperio usus, *præcepit homini, ut abiret, & unum tantum*  
Pater



Pater noster diceret, sciretq<sup>3</sup> pro certo, peccatum iam sibi esse dimissum. Ad hanc tam immensam Dei misericordiam ita obstupuit incaluitque confitens, vt magnitudinem diuini æstus non caperet mortale pectus. Nec mora, dirum ille eimittens einlatum, & in terram procidens, expirauit. Nec dubia fides est, sicut Deo dignus Episcopus postea predicauit, quin idem poenitens, sine vlla alia Purgatorij poena, validissima tantum contritione purgatus, ad gloriam euolârit.

## §. VII.

Quantum possit, apud diuinam misericordiam, vera contritio?

Quid primum, quid postremum dicam? quantus hinc dicendi campus? Quanta Numinis clementia? An non verè Deus rex est ille, ad quem accedens, qui decem millia talentorum debebat, debitum sanè ingens, & vrgens pondus æris alieni, tam citò, quid quid petijt, impetrauit? Siquidem *Procidens seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Atqui seruus, non remissionem, sed dilationem solutionis tantum petierat: Dominus autem, atque in eo Christus,

Matt, 18.

26.